

tio minima extrinsece (sacramentaliter loquendo) quia sacramentum non habet pro materia quantumcumque ablutionem, sed determinatam et certam, et quæ sufficiat, moraliter loquendo, abluere; et sic non debet extrinsece et indeterminate talis ablutio incipere, sed determinate et intrinsece; alias sacramentaliter non incipit.

CCXXII. Ad confirmationem primam respondetur verum esse dicere de sacramento, quod est toto tempore prolationis ad modum rei successivæ, in qua idem est esse quod fieri, seu transire; et ita dum transit sacramentum, dicitur esse; non tamen dicitur esse perfecte et simpliciter, sed successive, et dependenter a particulis succedentibus, quæ si non ponantur, neque sacramentum erit. Sicut oratio est dum successive profertur, cum dependentia tamen a distincto subsequente, ita ut si illa non ponatur, nec oratio erit simpliciter et perfecte, sed solum secundum suam inchoationem; in qua quidem inchoatione habet esse simpliciter successive et inchoative, non simpliciter perfecte. In instanti autem terminativo extrinseco est verum dicere, quod oratio et sacramentum est perfectum, et consequenter quod operatur; ante vero non est verum dicere, quod sacramentum est ea existentia quæ requiritur ad operandum, sed ea existentia qua inchoatur successive.

CCXXIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod in omni motu datur ultimum mutatum esse, non continuum cum motu, sed illi extrinsecum, et solum contiguum, quia desinit in illo motu, et non est; et ita non pertinet ad continuitatem motus. Illud tamen mutatum esse, seu terminus sic acquisitus, non differt a motu entitative, quia motus non est præter res ad

quas est motus, differt tamen realiter formaliter; et in ratione entis successivi motus totaliter perit, et est illi extrinsecum illud mutatum esse, sicut factum esse est extra fieri, licet entitas motus et termini sit eadem materialiter.

DUBIUM SEXTUM.

UTRUM SACRAMENTA VALIDE SUSCEPTA, SED INFRUCTUOSE, ET CUM OBICE AD GRATIAM, RECEDENTE OBICE ET FICTIONE HABEANT SUUM EFFECTUM?

Conclusio est affirmativa.

CCXXIV. Pro cuius intelligentia est notandum, quod obex in sacramenti potest esse vel respectu sacramenti, vel respectu effectus sacramentalis, qui est gratia: respectu sacramenti datur obex, quando ita fide suscipitur sacramentum, ut sit nullum et invalidum. Et tunc manifestum est, quod nunquam habet effectum, quia nunquam factum est sacramentum. Respectu effectus sacramentalis datur obex, quando sacramentum valide susceptum non habet effectum suum, propter affectum suscipientis ad peccatum mortale nondum exclusum ac detestatum. Et tunc quærimus, an quando postea recedit obex, sacramentum ante susceptum habeat effectum suum; ita quod subjecto detur gratia, non solum ratione illius dispositionis, qua tollit obicem, sed etiam ratione illius sacramenti quod antea suscipit.

CCXXV. Et quidem de baptismo fere certum est apud omnes, quod recedente fictione causet suum effectum. Est enim hæc expressa sententia D. Augustini libro primo de baptismo, cap. XII, et libro III,

capite primo, quæ fundatur in eo, quod baptismus est initerabilis; et peccatum originale remitti non potest per aliud sacramentum, quam per baptismum, unde oportet præcedentem baptismum operari gratiam recedente fictione. Quod et amplius manifestatur, quia si quis fide susciperet baptismum, et postea cum vera attritione confiteretur, et susciperet poenitentiam, iste talis sine dubio justificaretur, et tamen originale peccatum, quod adhuc retinet, per poenitentiam sacramentum non potest tolli: ergo tollitur per baptismum tunc operantem.

CCXXVI. De aliis vero sacramentis dubium est, an recedente impedimento habeant suos effectus. Et sententia D. Thomæ affirmat, quam expresse docuit IV, dist. XVII, quæst. III, art. IV, quæstiuncula prima, dicens: « Quod qui in confessione accedit fictus, recedente fictione consequetur fructum absolutionis, sicut et in aliis sacramentis; » licet verum sit quod in IV, dist. IV, quæst. III, art. III, quæstiuncula tertia ad tertium negaverit de eucharistia, quod recedente fictione causet gratiam, quia non imprimat characterem sicut baptismus. Videtur tamen hoc in distinctione illa XVII retractasse dum id omnibus sacramentis sine distinctione tribuit.

CCXXVII. Et ratio esse potest, quia generaliter loquendo, sacramenta semel valide suscepta cum obice subjecti, habent se ut causæ impeditæ ab effectu suo; omnia enim sacramenta habent eundem modum operandi, licet diversam necessitatem habeant; et ita eodem modo omnia operabuntur ex ratione sacramenti, et cogimur ad ponendum quod omnia sacramenta operentur physice recedente fictione, quia connaturale est causis physicis operari suum effectum, etiamsi im-

peditæ sint, remoto impedimento: si ergo omnia sacramenta sunt causæ physice, omnia operabuntur physice remota fictione.

CCXXVIII. Item est connaturale causæ physice habere aliquem contactum, saltem virtuales, et ex illo relinquere subjectum modificatum et determinatum a tali causa: sacramentalis autem susceptio habet contactum virtuales sacramentalem cum intellectu, ut dicit D. Thomas in IV, dist. IV, quæst. II: unde relinquit ibi modificatam determinationem intellectus, vel characterem, aut fidem: ergo debent sacramenta remoto impedimento habere suum effectum, quia applicatio meritorum Christi sacramentaliter facta, licet frustretur ex indispositione subjecti, tamen non est sublata per aliquam contrariam causam, sed manet quousque subjectum removeat indispositionem; omnis autem causa impedita solum, et non exclusa per contrariam causam, habet effectum suum recedente impedimento.

CCXXIX. Nec dici potest, non manere jam causam, scilicet sacramentum, nam sicut manet baptismus, et manet poenitentia in virtute, ratione scilicet illius determinationis, qua homo voluntarie voluit tale sacramentum suscipere; ita et alia remanebunt ratione talis susceptionis voluntariæ. Et sicut actus voluntatis semel elicitus virtualiter manet, et sufficienter influit in actus qui postea eliciuntur, licet jam non existat ille actus; sic et susceptio voluntaria sacramenti manet, non quomodocumque, sed modificata a sacramento suscepto; et ita postea recedente fictione, sacramentum mediante tali modificatione operatur. Probabiliter ergo, et pie id credi potest de omnibus sacramentis, etiam de eucharistia. Quod magis ex congruentia quadam

ducitur, ut videlicet quod aliis sacramentis convenit, etiam eucharistiæ, et omnibus aliis conveniat; ideo sufficit ad argumenta respondere.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Per quod Sacramentum tollitur fictio?

CCXXX. Objicitur ergo primo: In sacramento baptismi si baptismus habet suum effectum recedente fictione; ergo prius debet tolli fictio, quam baptismus operari; sed hoc est impossibile: ergo etiam quod baptismus recedente fictione operetur. Major certa est, quoniam causa impedita nunquam potest operari, donec auferatur impedimentum; ergo prius debet impedimentum auferri, quam causa impedita operari, ac adeo ut baptismus per fictionem impeditus operetur, prius debet tolli fictio. Minor probatur, nam ille obex debet tolli per remissionem peccati factam a pœnitentia, et a gratia sanante; cum enim obex sit peccatum, remissio illius est remissio peccati, impossibile est autem remitti peccatum per gratiam sanantem antequam habeat regenerantem; ergo neque potest tolli obex nisi prius sit quis regeneratus, atque adeo nisi prius habeat gratiam baptismi, quæ est regenerativa.

CCXXXI. Neque valet dicere, quod est prius illa remotio obicis per pœnitentiam, non simpliciter, sed in quodam genere causæ, scilicet materialis; et ita neque prius est simpliciter remotio obicis, quam gratia baptismi. Contra hoc enim est, quod obex ille, seu peccatum, cum removeatur per remissionem, oportet etiam quod removeatur per gratiam, quia impossibile est intelligere remissionem peccati, nisi cum

infusione gratiæ, cum remissio ab infusione proveniat; ergo pro illo genere aut priori quo intelligitur remissum peccatum obicis, etiam gratia infusa intelligitur; ac adeo prius est gratia sanans et removens obicem, quam gratia regenerans, quæ non nisi remoto obice poni potest.

CCXXXII. Respondetur, quod sicut gratia sanans et regenerans et tollens obicem entitative et specificè est eadem, licet diversas formalitates habeat; ita non repugnat in eodem instanti, secundum omnes istas formalitates infundi; ita tamen quod secundum unam formalitatem præsupponatur ad seipsam secundum aliam. Si ergo quis per sacramentum pœnitentiæ tollat fictionem baptismi, et accipiat gratiam sacramentalem sanantem, utrumque sacramentum concurrat in eodem instanti ad productionem illius, unumquodque tamen secundum eam formalitatem, qua potest et debet alterum præcedere. Unde quantum ad hunc effectum, qui est tollere obicem, seu remittere peccatum sub formalitate obstantis sacramento baptismi, sic prius pœnitentia operatur; sed pro tunc non intelligitur complete et plene gratia in subjecto, sed solum secundum quid, et secundum unum effectum ac formalitatem.

CCXXXIII. Nec concedendum est, quod pro illo priori quo removetur obex a pœnitentia detur gratia ut sanans, sed ut removens prohibens, et ut causa per accidens respectu gratiæ baptismi, ut dicit D. Thomas quæstione LXIX, articulo x ad secundum. Gratia autem ut sanans directe producitur a pœnitentia, sed post effectum baptismi. Ut tollens autem obicem, tollit peccatum baptizati sub duplici formalitate; et ut impeditivum regenerationis, et sic non sub ratione sanantis; et ut

hominis christiani vulnus de se lædens regenerationem inchoatam, et per gratiam non perfectam, et sic tollitur per gratiam sanantem.

CCXXXIV. Secundum vero, quod illa gratia remittit peccata ante pœnitentiam, et regenerat novam creaturam, sic intelligitur a baptismo prodire; secundum vero, quod sanat hominem post baptismum infirmum, et sanando auget baptismalem gratiam, sic procedit a pœnitentia. Quare licet eo ipso quod tollitur obex, tollatur omne peccatum, et infundatur gratia, non tamen tollitur sub omni formalitate, sed sub ea qua talis causa postulat; et ideo non tollit formaliter loquendo peccatum originale, quia hoc formaliter tollitur per gratiam ut regenerantem, et consequenter secundum formalitatem qua correspondet baptismo.

CCXXXV. Et si instes: Nam pro illo priori, quo removetur obex, peccatum originale est incompatible cum gratia, ut removeante obstaculum, et remittente illud: ergo pro illo priori tollitur peccatum originale, et sic non relinquatur postea tollendum per baptismum. Respondetur distinguendo antecedens; pro illo priori est incompatible peccatum originale, realiter et materialiter, concedo; secundum prioritatem naturæ et formaliter, nego. Nam licet in re tunc non compatitur peccatum, tamen intellectus inveniens ibi diversas formalitates abstrahit, et inadæquate considerat gratiam secundum illam formalitatem, qua adhuc plene et complete non excludit peccatum originale, et ei est incompatible, sed secundum illam formalitatem, qua excludit obicem impeditivum talis exclusionis peccati originalis; sicut eadem forma, quæ dat gradum vegetativum et sensitivum et rationalem, secundum quod dat gradum

vegetativum, non intelligitur exclusus gradus irrationalitatis, et tamen cum illa forma est incompatible ille gradus, in re quidem, non tamen sub illa formalitate, quæ dat gradum vegetativum; et differentiæ ut sic non repugnat prædicari de pluribus specie differentiibus, quod tamen repugnat differentiæ ut tali. Et similiter dispositio ultima supponit formam in subjecto in genere causæ formalis, ad quam sequitur illud accidens, licet in genere causæ materialis sit e converso; et in omni genere causarum id invenitur. Sic gratia ut tollens obicem, seu removens terminum a quo sequitur ad gratiam formaliter; et in genere materialis dispositionis præcedit gratiam ut re generantem et sanantem.

CCXXXVI. Nec inconvenit gratiam respici a diversis virtutibus et formalitatibus, secundum diversas prioritates, quæ non sunt aliud quam diversæ dependentiæ. Sic ergo bene stat, quod eadem forma, cum qua alia est incompatible, sub quadam formalitate et præcisione considerata non intelligatur ut repugnans; et sic se habet peccatum originale respectu illius gratiæ et effectuum ejus.

IN QUA MENSURA DETUR GRATIA QUANDO RECEDIT FICTIO?

CCXXXVII. Secundo objicies: Recedente fictione, vel redit totus effectus correspondens sacramento fide suscepto ex opere operato, vel non redit totus, sed solum pars aliqua; si non redit totus, ergo solum redibit ille, qui correspondet præsentis dispositioni, qua quis removet obicem, nam aliunde non habet determinari effectus ille; hoc autem non est dari effectum ex opere operato, sed ex opere operan-

tis, si quidem solum datur ut correspondens huic dispositioni, et secundum mensuram ejus, non autem ut correspondet sacramento prius suscepto: si autem redit totus effectus,

CCXXXVIII. Contra est primo, quia alias, qui reciperet millies et plus sacramenta informia, si postea per unum actum devotionis recipiat sacramentum formatum, erit æqualis conditionis cum eo, qui suscepit sacramenta omnia formata; et melioris conditionis erit, si quando sacramentum formatum suscipit cum aliquando intensiori devotione suscipiat, quam alius, qui semper formatum suscepit. Consequens autem est absurdum. Sequela vero patet, quia iste suscipit modo effectus omnium præcedentium sacramentorum informium; ergo æqualem habet gratiam cum eo, qui suscepit formata.

CCXXXIX. Secundo, facit contra hoc, quia ideo baptismus operatur recedente fictione, quia est medium necessarium ad tollendum originale peccatum, quod non nisi per baptismum tolli potest, et similiter actualia ante baptismum commissa; sed ad hoc non est necessarium, quod detur per baptismum distincta gratia ab ea, quæ datur per contritionem et pœnitentiam, sed solum quæ datur in ratione regenerantis: ergo non est necesse quod redeat totus effectus, et distincta gratia ab ista, quæ dispositioni præsentis correspondet. Minor patet, quia per hoc sufficienter salvatur operatio et necessitas baptismi recedente fictione.

CCXL. Confirmatur, nam si homo recipiat gratiam in baptismo, et postea illam per peccatum amittat, illa numero gratia amissa non est ei amplius debita, nec tota debet restitui, si postea resurgat, sed secundum dispositionem præsentem;

ergo similiter si fecte suscepit baptismum, non est ei debita illa gratia impedita, et ita non oportet ut tota restituatur.

CCXLI. Confirmatur secundo, nam si ponamus hominem, qui fecte suscepit baptismum, et postea conteritur contritione ut duo; alius autem ante baptismum eadem contritione conteritur, ille primus habebit æqualem gratiam cum isto, quod est omnino absurdum: nam alias prodesset ei indigna et sacrilega susceptio baptismi, ut majorem gratiam haberet.

CCXLII. Denique confirmatur, quia qui semel suscepit gratiam per unum sacramentum, postea ad reviviscentiam talis gratiæ non concurrat per se sacramentum susceptum; ergo neque quando est impeditum sacramentum concurrat postea ad dandam gratiam. Patet consequentia, nam si attendamus ad virtutem sacramenti, eadem modo manet in suscipiente cum obice et sine obice; ergo ex hac parte non repugnaret concurrere. Si vero attendamus ad subjectum, eodem modo disponitur ad tollendum obicem gratiæ impeditæ, et ad resurgendum in perdita; ergo vel in neutro concurrat sacramentum, vel in utroque.

CCXLIII. Respondetur ad principale argumentum concedendo, quod redit totus effectus, qui sacramento correspondere debebat ex opere operato, quia cum fecte susceptum fuit, sine dispositione aliqua mensurante sacramenti effectum, et applicante, ipsum sacramentum fuit susceptum, unde solum poterit dare illum effectum, qui præcise ex opere operato dari debet, qui est minimus, quia sacramento dari potest.

CCXLIV. Ad improbationem hujus respondetur, quod in modo quo sacramentum fecte susceptum dat

gratiam recedente fictione, divisi sunt auctores: quidam enim dicunt, præsentem dispositionem respectu sacramenti antecedentis fecte suscepti, solum se habere ut removens prohibens; et consequenter sacramentum recedente tali fictione solum operari gratiam minimam quam potest: alii vero dicunt, quod sacramentum fictum recedente fictione operatur secundum quantitatem præsentis dispositionis, ita quod illa dispositio efficitur propria sacramenti non impediti, et juxta illam dat effectum suum; licet quantum est ex se, et attendendo ad modum, quo fuit realiter susceptum, non deberet nisi minimam gratiam dare.

CCXLV. Et in hac quidem sententia dicendum est, quod ille qui suscipit sacramenta formata, est simpliciter melioris conditionis, quia præparat se majori gratiæ, et ut melius operetur; per accidens autem, scilicet, quia iste non se melius disposuit, et alius habuit æqualem dispositionem præsentem cum illa, qua alter semper se disposuit, ideo æqualem cum illo gratiam accipiet, sicut contingere potest in opinione illorum, qui dicunt charitatem augeri solum secundum intensiores actus, et non secundum remissos, et si multiplicatos.

CCXLVI. In alia vero sententia, quæ verior videtur, dicendum est quod sacramento semel sine dispositione suscepto, non datur jus nisi ad minimam gratiam ex vi illius susceptionis informis. Dispositio vero postea tollens obicem, non comparatur ad illud sacramentum in ejus mensura, sed tantum ut obicem tollens, quia cum non conjungatur ipsi sacramento, non applicat illud ad agendum, sed jam applicatum supponit; unde cum sit applicatum sine dispositione, et hæc superveniens dispositio jam non ap-

plicet ipsum, habet se solum ut removens prohibens respectu agentis jam applicati, et dispositio negativa, non ut positiva, quæ positive applicatur; præsertim quia illa dispositio tollens fictionem, non est dispositio ad sacramentum et ejus susceptionem, sed ad effectum sacramenti; unde non tribuit etiam dispositive majorem efficaciam, seu modum applicationis ipsi sacramento. Et sic melioris conditionis est, qui semper formata sacramenta suscipit, quia in hoc applicantur semper melius sacramenta, et ideo melius operantur, non sic quando applicantur sine dispositione.

CCXLVII. Sed adhuc objicies: Illa virtus sacramenti, quando operatur recedente fictione, invenit subjectum dispositum dispositione positiva, et non solum remotiva; ergo cum sit efficax causa gratiæ, producet in illo secundum mensuram dispositionis ejus, et non solum minimum quod potest.

CCXLVIII. Respondetur, quod invenit subjectum dispositum dispositione positiva et positive applicante ipsam virtutem sacramenti, nego; positiva respectu alterius causæ, et remotiva respectu sacramenti jam applicati, et virtutis ab eo applicato relictæ, concedo. Quare cum virtus illa sit sacramenti jam applicati, et semel applicatum habeat virtutem determinatam, consequenter quando supervenit postea dispositio, solum est remotiva impedimenti, non dativa, et applicativa ad gratiam.

CCXLIX. Ad secundam probationem negatur minor; nam peccatum originale tolli non potest sine infusione gratiæ, et ideo sacramentum per se respiciens remissionem originalis, per se respicit infusionem gratiæ; cum autem sit per se causa sufficiens operativa gratiæ, ex eo quod conjungatur alteri sacramento, etiam causanti gratiam, vel con-